

✠

*Alexander mortuus non est, sed vixit  
SUPER ASTRA, & Corpus in hoc tumulo  
Quiescit. Vitam explevit cum Antonino  
Imp. qui ubi multum beneficii ante-  
venire prævideret, pro gratia odium reddit.  
Genua enim flectens vero Deo sacrificatu-  
rus ad supplicia ducitur. O tempora in-  
fausta! quibus inter sacra & vota ne in  
cavernis quidem salvari possimus. Quid  
miserius vita? sed quid miserius morte?  
cum ab amicis & parentibus sepeliri nequeant.  
Tandem IN COELO CORUSCAT. Parum vixit, qui  
Vixit.*

Sæculo Ch. II. quo imperarunt Antoninus Pius, & M. Aurelius Antoninus, & S. Justinus geminas Christianorum Apologias scripsit, par est credere, positum fuisse hunc titulum. Sed si ad tertium quoque Sæculam, quo spurii Antonini regnarunt, referre vis nihil interest. Certo inde hauris, Martyrem hunc creditum fuisse translatum *super Astra*, & *coruscare in Cælo*: quibus verbis quid aliud significatur, nisi summa Sanctorum Beatitas in Cælo?

Floruit etiam sub finem Sæculi a Christo nato II. Clemens Alexandrinus, quem nescio, cur in scenam cum reliquis non produxerit Burnetius ut suorum pugilum agmen augetet. Is certe l. iv. Stromat. locum e Clementis Romani Epist. I. ad Corinth. adfert, supra a nobis ad stateram revocatum, ubi scilicet Justi morientes migrare dicuntur in *Χώρα Ευαγγέλιου*, *Lectum Piorum*. Periculum faciam ego, an exculpi ab Alexandrino possit, quid revera vocabulo hocce olim significaretur. Sunt ejus verba Lib. vi. eorumdem Stromat. p. 638. Editionis Coloniens. Jam vero dicit Evangelium, multa, quæ dormierant, surrexissent Corpora; ut quæ videlicet translata essent ( *eis δὲ ἀναστὰς τῶν* ) ad Meliorem Locum, sive Statum. De Sanctis, qui in Christi Resurrectione suscitati fuerunt e mortuis, & in Cælum una cum ipso ascendisse creduntur, agit ibi Alexandrinus Philosophus, eamque in rem adfert Hermæ Verba e Lib. III. cap. 16. Pastoris. Si ex Abrahamæ Sina in Meliorem Locum antiqui Patriarchæ & Prophetæ translati fuerit: ergo non alio quam in Cœlestem Patriam migrasse credendi sunt. Id quod satis indicare videtur Clemens idem Lib. VII. Stromat. pag. 736. ubi hæc scribit, laudata deinde ab Eusebio Cæsariensi lib. III. cap. 30. Histor. Ecclesiasticæ. Ajunt, *Beatum Petrum, quum Uxorem suam duci ad supplicium videret, gaudio exultasse, quod a Deo vocata, ac mox IN PATRIAM REDITURA* esset ( *eis δὲ ἀναστὰς τῶν* ) eamque proprio nomine compellantem, hortatorio & consolatorio vocis sono inclamasse: *Mulier, memento Domini*. En quo per Martyrium sancta illa femina abitura erat, *In Patriam*: quo nomine

ne-